

**XXI. IANVARII.  
DE S. AGNETE VIRGINE ET MARTYRE,  
ROMÆ.  
VITA S. AGNETIS, AVCTORE S.  
AMBROSIO.**

**Avctore S. Ambrosio, ex mss.**

**CAPVT I.**

**S. Agnes P. V. filio nubere recusat.**

**[1] Seruus Christi Ambrosius Virginibus sacris.**

**Diem festum sanctissimæ Virginis celebremus. Hinc psalmi resonent, inde concrepent lectiones. Hinc populorum turbæ lætentur, inde subleuentur pauperes Christi. Omnes ergo gratulemur in Domino, & ad ædificationem Virginum, qualiter passa sit Agnes beatissima, ad memoriam reuocemus. Tertiodecimo ætatis suæ anno mortem perdidit, & vitam inuenit, quia solum vitæ dilexit auctorem. Infantia computabatur in annis, sed erat senectus mentis immensa: [S. Agnes tredecennis] corpore quidem iuuenula, sed animo cana; pulchra facie, sed pulchrior fide.**

**[2] Quæ dum a scholis reuerteretur, a Præfecti Vrbis filio adamatur. Cuius parentes cum requisisset & inuenisset, cæpit offerre plurima & plura promittere. [adamatur a filio Præfecti Vrbis:] Denique detulerat secum pretiosissima ornamenta, quæ a B. Agne veluti quædam sunt stercora recusata. Vnde factum est, vt iuuenis maiori perurgeretur amoris stimulo. Et putans eam meliora velle accipere ornamenta, [donis sollicitatur;] omnem lapidum pretiosorum secum defert gloriam: & per seipsum, & per amicos & notos & affines cæpit aures Virginis appellare;**

diuitias, domos, possessiones, familias, atque omnes mundi delicias promittere, si consensum suum eius coniugio non negaret.

[3] [ea respuit:] Ad hæc B. Agnes tale fertur iuueni dedisse responsum: Discede a me fomes peccati, nutrimentum facinoris, pabulum mortis: discede a me, quia ab alio iam amatore præuenta sum, qui mihi satis meliora te obtulit ornamenta, [Christo se desponsam profitetur:] & annulo fidei suæ subarrhauit me, longe te nobilior & genere & dignitate. Ornauit inæstimabili dextro chirio dexteram meam, & collum meum cinxit lapidibus pretiosis: tradidit auribus meis inæstimabiles margaritas, & circumdedit me vernantibus atque coruscantibus gemmis. Posuit signum suum super faciem meam, vt nullum præter ipsum amatorem admitam. Induit me cyclade auro texta, & immensis monilibus ornauit me. Ostendit mihi thesauros incomparabiles, quos mihi se donaturum repromisit si ei perseuerauero. Non ergo potero ad contumeliam prioris amatoris vel adspicere alium, & illum derelinquere, cum quo sum caritate deuincta: cuius est generositas celsior, possibilitas fortior, aspectus pulchrior, amor suauior, & omni gratia elegantior: a quo mihi iam thalamus collocatus est, cuius mihi organa modulatis vocibus resonant, cuius mihi virgines iustissimus vocibus cantant. Iam mel & lac ex ore eius suscepti: iam amplexibus eius castis adstricta sum: iam corpus eius corpori meo sociatum est, & sanguis eius ornauit genas meas. Cuius mater virgo est, cuius pater feminam nescit. Cui Angeli seruiunt, cuius pulchritudinē sol & luna mirantur: cuius odore reuiuiscunt mortui, cuius tactu e fouentur infirmi: cuius opes numquam deficient, cuius diuitiæ non decrescunt. Ipsi soli seruo fidem. Ipsi me tota deuotione committo. Quem cum amauero, casta sum; cum tetigero, munda sum; cum accepero, virgo sum. Nec deerunt post nuptias filij, vbi partus sine dolore succedit, & fœcunditas quotidiana cumulatur.

[4] [proco ægrotante,] Audiens hæc insanus iuuenis, amore carpitur cæco, & inter angustias animi & corporis, anhelo cruciatur spiritu. Inter hæc lecto prosternitur, & per alta suspiria amor a medicis aperitur. Fiunt nota patri, quæ fuerant inuenta a medicis; & eadem paterna voce, quæ fuerant iam dicta a filio, ad petitionem Virginis reuoluuntur. Abnegat Agnes beatissima, & se nullo pacto asserit prioris sponsi fœdera violare. Cum que pater diceret, [ab eius parente sollicitatur:] in fascibus constitutum se præfecturam agere, & idcirco sibi, quamuis illustrissimum, minime debere præferre; cœpit tamen vehementer inquirere, quis esset sponsus, de cuius se Agnes potestate iactaret. Tunc extitit quidam ex parasitis eius, qui diceret hanc Christianam esse ab infantia, & magicis artibus ita occupatam, vt dicat Christum sponsum suum esse.

[5] Audiens hæc Præfectus lætus efficitur, & missa apparitione cum ingenti strepitu suis eam tribunalibus præcipit sisti. [in ius rapitur.] Et primo quidem blandis eam sermonibus secretius prouocat, deinde terroribus pulsat. Sed Christi Virgo nec blandimentis seducitur, [Minis & blanditiis tentatur:] nec terrore concutitur: sed eodem vultu, eodemque animo perseverans, & terrentem similiter, sicut & blandientem, animo deridebat. Videns itaque Symphronius Præfectus tantam in puella constantiam, parentes eius alloquitur. Et quia erant nobiles, & vim eis inferre non poterat, titulum eis Christianitatis opposuit. Sequenti namque die Agnen sibi præsentari iubet, & iterum iterumque repetens, cœpit replicare de iuuenis amore sermonem. Cumque omnis sermo eius casso labore deficeret, sisti eam iterum suis tribunalibus iussit; cui & dixit: Superstitio Christianorum, de quorum te magicis artibus iactas, nisi a te fuerit segregata, non poteris insaniam abiicere pectoris, neque æquissimis consiliis præbere consensum. Vnde te ad

venerandam Deam Vestam properare necesse est, vt si tibi perseuerantia virginitatis placet, eius die noctuque sacrificiis venerandis insistas.

[6] [Deos ridet.] Ad hæc B. Agnes dixit: Si filium tuum, quamuis iniquo amore vexatum, tamen viuentem hominem, recusavi, hominem vtique, qui est rationis capax, qui & audire, & videre, & palpare, & ambulare potest, & fulgore lucis huius cum bonis perfrui; si ergo hunc, caussa amoris Christi, nulla possum ratione respicere, quomodo possum idola muta & surda & sine sensu & sine anima colere, & ad iniuriam summi Dei ceruices meas vanis lapidibus inclinare? Audiens hæc Symphronius Præfectus dixit: Cupio consultum esse infantiaë tuæ, & adhuc te Deos blasphemantem idcirco differo, quia annos tuos infra sensum adspicio. Noli ergo temetipsam ita despiciere, vt motus Deorum incurras. B. Agnes dixit: Noli infantiam corporalem ita in me despiciere, vt putes me te velle habere propitium. Fides enim non in annis, sed in sensibus, geritur: & Deus omnipotens mentes magis comprobatur, quam ætates. Deos autem tuos, quorum me motus incurrere non vis, ipsos irasci permitte: ipsi loquantur, ipsi hoc mihi præcipiant, ipsi iubeant se coli, ipsi iubeant se adorari. Verum quoniam ad hoc video te tendere, quod impetrare non poteris, quicquid tibi videtur, exerce.

## Annotata

S. Aldelmus hunc adolescentem Procopium vocat.

Dextrochirion, vel dextrocherion, quasi, monile est, quo dextrum brachium, [Dextrochirion,] aut manus brachijque iunctura ornabatur. Iulius Capitolinus in Maximino: pollice ita vasto, vt vxoris dextrocherio vteretur pro annulo. Trebellius Pollio in Quietō tyranno: Alexandrum Magnum Macedonem viri in annulis argento, mulieres in reticulis &

dextrocheriis, & in annulis, & in omni ornamentorum genere, exculptum semper habuere. Lucifer Calaritanus de non parcendo delinquentibus, ad Constantium: Debemus vereri regni tui diadema, inaurem etiam & dextrocheria. hæc in dextro brachio gestabantur, vt vox ipsa indicat. Soliti olim læuo gestare. Liuius lib. 1. quod vulgo Sabini aureas armillas magni ponderis brachio læuo, gemmatosque magna specie annulos habuerunt. Pro dextrochirio dextrale dicitur. [Dextrale:] Ludouicus Lacerda noster hæc Agneti in baptismo collata ornamenta scribit. recte; his enim decus & splendor diuinæ gratiæ significatur, quam in baptismo sibi infusam perpetuo conseruauit, vtque cælitus augeretur promeruit Virgo sanctissima, præcipue voto virginitatis nuncupato.

De titulo Christianitatis dictum ad S. Sebastiani Acta, qui quidem damnatis iam mortique addictis præferri soleret. Hic idem prætenditur, siue in tabula expressus, siue præconis voce denuntiatus, vt sciatur cuius rei iudicium sit, ne viri honorati, parentum Agnetis consanguinei & affines, aut quoquo modo familiares & amici, adesse in iudicio velint, [Titulus Christianitatis.] caussæque patrocinari; vnde Præfecto metus a nobilitate incutiatur, inuidia apud populum concilietur. Christianos enim eo titulo accersitos defendere nemo audebat aut poterat, tum quia negare crimen fas non erat, quod ipsi velut summum decus, vt vere erat, vltro profitebantur; tum ne, si iustissima vti defensione quis vellet, & contendere crimen in eo nullum esse, Principes, Pontifices, plebsque vniuersa irritaretur. Atque eius rei gratia etiam in aliis caussis hunc iactare titulum actores consueuere, ne defendi a quoquam Christiani, quacumque de re lite ageretur, possent. Consule SS. Iulittæ & Quirici Acta 16. Iunij.

## CAPVT II.

Lupanari flammisque superior, gladio percutitur.

[7] Symphronius Præfectus dixit: Vnum tibi e duobus elige, aut cum virginibus Deæ Vestæ sacrifica, aut cum meretricibus scortaberis in contubernio a lupanari. Et longe erunt a te Christiani, qui te ita magicis artibus imbuerunt, vt hanc calamitatem intrepido animo te perferre posse confidas. Vnde, vt dixi, aut sacrifica Deæ Vestæ ad laudem generis tui, aut ad ignominiam natalium tuorum, eris publicæ abiectionis scortum. Tunc B. Agnes cum ingenti constantia dixit: [Minas publicæ prostitutionis contemnit] Si scires quis est Deus meus, non ista ex tuo ore proferres. Vnde ego quia noui virtutem Domini mei Iesu Christi, securo contemno minas tuas, credens quod neque sacrificem idolis tuis, neque polluar sordibus alienis. [Angeli tutela freta.] Mecum enim habeo custodem corporis mei Angelum Domini. Nam vnigenitus Dei filius, quem ignoras, murus est mihi impenetrabilis, & custos mihi est numquam dormiens, & defensor mihi est numquam deficiens. Dij autem tui, aut ærei sunt, ex quibus cucumæ melius fiunt ad vsus hominum; aut lapidei, ex quibus plateæ ad euadendum lutum melius sternuntur. Diuinitas ergo non in lapidibus vanis habitat, sed in cælis; non in ære, aut aliquo metallo, sed in regno consistit superno. Tu autem & similes tui, nisi ab istorum cultu recesseritis, similis vos pœna concludet. Sicut enim illi igne conflati sunt vt funderentur, sic colentes eos perpetuo incendio conflagabuntur: non vt fundantur, sed vt confundantur in æternum, & pereant.

[8] [Ducitur ad lupanar,] Ad hæc insanus Iudex iussit eam expoliari, & nudam ad lupanar duci sub voce e praeconis dicentis, Agnen virginem sacrilegam Diis blasphemiam inferentem, scortum lupanaribus datam. Statim autem vt expoliata est, crine resoluto, [nuda, sed capillis tecta:] tantam densitatem capillis eius diuina gratia concessit, vt melius videretur eorum fimbriis quam vestibus tecta. Ingressa autem turpitudinis locum, Angelum Domini illic præparatum inuenit, vt circumdaret eam immenso lumine,

ita vt nullus posset eam præ splendore nec contingere nec videre. Fulgebat enim tota cella illa, quasi radians sol in virtute sua: & quanto quis curiosior oculis esse voluisset, [loco cœlitus collustrato,] tanto sibi visus acies obtundebatur. Cumque se in orationem Domino prostrauisset, apparuit ante oculos eius stola candidissima. Et apprehendens eam induit se, [vestem ab Angelo accipit:] Gratias tibi ago Domine Iesu Christe, qui me in numero ancillarum tuarum computans, vestem hanc mihi largiri præcepisti. Ita namque ad mensuram corpusculi eius aptum erat indumentum, & ita nimio candore conspicuum, vt nullus dubitaret hoc non nisi Angelicis manibus præparatum.

[9] Interea lupanar locus orationis efficitur: in quo omnis, qui fuisset ingressus, adoraret & veneraretur, & dans honorem immenso lumini, mundior egrederetur foras, quam fuerat intus ingressus. Cumque hæc agerentur, Præfecti filius, qui auctor erat huius sceleris, venit ad locum cum sodalibus suis iuenculis, quasi insultaturus puellæ, cum quibus libidinis suæ se posse credebat ludibrium exercere. [lasciuum Præfecti filium, a diabolo suffocatum,] Et ingressos ante se furentes pueros & turpiter sæuientes, videns cum omni veneratione & ingenti admiratione egressos, cœpit impotentes arguere, atque vanos & molles ac miseros iudicare. Et irridens eos, locum, in quo Virgo orabat, audacter ingressus est. Et videns tantum lumen circa eam, non dedit honorem Deo: sed irruens in ipsum lumen, priusquam vel manu eam contingeret, cecidit in faciem suam, & præfocatus a diabolo, expirauit. Videntes autem socij eius, quod moras intus innecteret, putabant obscœnis eum operibus occupari. Et ingressus est vnus de iuuenibus, qui ei familiarior erat, quasi vt congratularetur insultationi eius: & mortuum eum inueniens, exclamauit voce magna, dicens: Piissimi Romani succurrite. Magicis artibus ista meretrix Præfecti filium interfecit.

[10] Fit repente concursus populorum ad theatrum & varia furentis populi acclamatio. Alij dicebant magam, alij innocentem, alij sacrilegam conclamabant. Præfectus autem audiens filium suum interisse, cum ingenti tumultu & luctu venit ad theatrum. Et ingressus locum in quo corpus filij eius iacebat exanime, cum ingenti clamore dicebat beatissimæ Virgini: Crudelissima omnium feminarum, in filium meum voluisti apodixin tuæ artis magicæ demonstrare? Et cum talia, atque alia huiuscemodi verba repeteret, & caussas mortis eius ab ea vehementer inquireret, ait ad eum beatissima Agnes: Ille, cuius voluntatem volebat perficere, ipse in eum potestatem accepit. Quare autem omnes qui ad me ingressi sunt, sani sunt? Quia vniuersi dederunt honorem Deo, qui mihi misit Angelum suum, qui & induit me hoc indumento misericordiæ, & custodiuit corpus meum, quod ab ipsis cunabulis Christo consecratum est & oblatum. Videntes ergo splendorem Angelicum, [reddita eius patri euentus ratione,] adorabant omnes, & abscedebant illæsi. Hic autem impudens statim vt ingressus est, sæuire cœpit & fremere; cumque manum suam ad me contingendam aptaret, dedit eum Angelus Domini in reprobam, quam conspicis, mortem. Dicit ei Præfectus: In hoc apparebit, quia non magicis artibus ista gessisti, si deprecata fueris ipsum Angelum vt restituat mihi filium meum sanum. Cui B. Agnes dixit: Licet fides vestra hoc impetrare non mereatur a Domino, tamen quia tempus est, vt virtus Domini mei Iesu Christi manifestetur; egredimini omnes foras, vt solitam ei orationem offeram. [precibus suscitatur:] Cumque vniuersi fuissent egressi, prosternens se in faciem plorans rogare cœpit Dominum, vt iuuenem suscitaret. Orante autem illa, apparuit Angelus Domini, qui eleuauit eam flentem, & confortans animum eius, iuuenem suscitauit. Qui egressus foras, cœpit voce publica clamare & dicere: Vnus est Deus in cælo, & in terra, & in mari, qui est Deus Christianorum. Nam omnia templa vana sunt; dij qui coluntur, omnes vani

sunt, & penitus nec sibi possunt, nec aliis aliquod auxilium exhibere.

[11] Ad hanc vocem omnes aruspices, & templorum Pontifices conturbantur, & fit per eos vehementior, quam fuerat, seditio populorum. Atque omnes vna voce clamabant: Tolle magam, tolle maleficam, quæ & mentes immutat, & animos alienat. Præfectus autem videns tanta mirabilia, obstupuit. Sed veritus proscriptionem, si contra templorum Pontifices ageret, & Agnem contra suas sententias defensaret; Vicarium ad seditionem populi ludicem dereliquit. Ipse autem tristis abscessit, quod eam non potuit post suscitationem filij sui liberare. Tunc Vicarius, Aspasius nomine, iussit in conspectu omnium ignem copiosum accendi, [a Vicario in ignem coniicitur,] & in medium eam præcepit iactari flammaram. Quod cum fuisset impletum, statim in duas partes diuisæ sunt flammæ & hinc atque illinc seditiosos populos exurebant, [illæsa;] ipsam autem B. Agnen penitus in nullo contingebat incendium. Eo magis hoc non virtutibus diuinis, [Deum, laudat:] sed maleficiis deputantes, dabant fremitus inter se populi, & infinitos clamores ad cælum. Tunc B. Agnes expandens manus suas in medio ignis his verbis orationem fudit ad Dominum: Omnipotens, adorande, colende, tremende, Pater Domini nostri Iesu Christi, benedico te, quia per filium tuum vnigenitum euasi minas hominum impiorum & spurcitas diaboli impolluto calle transiui. Ecce & nunc per Spiritum sanctum rore cælesti perfusa sum: focus iuxta me moritur, flamma diuiditur, & ardor incendij huius ad eos, a quibus ministratur refunditur. Benedico te, Pater prædicande, qui etiam inter flammam intrepidam me ad te peruenire permittis. Ecce iam quod credidi, video; quod speravi, iam teneo; quod concupiui, complector. Te confiteor labiis, te corde, te totis visceribus concupisco. Ecce ad te venio vnum & verum Deum; qui cum Domino nostro Iesu Christo

**Filio tuo, & cum Spiritu sancto, viuis & regnas in cuncta secula seculorum, Amen.**

**[12] [extincto igne, gladio perimitur.] Cumque complexisset orationem, ita omnis ignis extinctus est, vt nec tepor quidem incendij remaneret. Tunc Aspasius, Urbis Romæ Vicarius, populi seditionem non ferens, in guttur eius gladium mergi præcepit. Atque hoc exitu roseo sui sanguinis rubore perfusam, Christus sibi sponsam & Martyrem consecrauit.**

### **Annotata**

**[Cucuma.] Cucuma vasis est genus, lato ventre instar cucumeris.**

**Miraculum id disertius exponit Prudentius:**

**Sic elocutam, publicitus iubet  
Flexu in plateæ sistere Virginem.  
Stantem refugit mæsta frequentia,  
Auersa vultus, ne petulantius  
Quisquam verendum conspiceret locum.  
Intendit vnus forte procaciter  
Os in puellam, nec dubitat sacram  
Spectare formam lumine lubrico. [Impudentior aspectus  
cælitus punitus.]  
En ales ignis fulminis in modum  
Vibratur ardens, atque oculos ferit:  
Cæcus corusco lumine corruit,  
Atque in plateæ puluere palpitat.  
Tollunt sodales seminecem solo,  
Verbisque deflent exequialibus.  
Ibat triumphans Virgo, Deum Patrem,  
Christumque sacro carmine concinens,  
Quod sub profani labe periculi  
Castum lupanar, nec violabile**

**Experta victrix virginitas foret.  
Sunt qui rogatam rettulerint preces  
Fudisse Christo, redderet vt reo  
Lucem iacenti: tum iuueni halitum  
Vitæ innouatum visibus integris.**

**Sed ambigi potest, an non alterum miraculum de  
prostrato suscitatoque Præfecti filio coniungat.**

**Circus Agonalis fuit, de quo infra cum de ecclesiis &  
reliquiis. In fornicibus spectaculorum manere consueuisse  
publica scorta ostendit Baronius in Notat. ad Martyrol.  
grauissimis veterum scriptorum testimoniis. Inde ipsa  
fornicandi vox ducta.**

### **CAPVT III.**

#### **S. Emerentianæ cædes. Constantiæ conuersio.**

**[13] Parentes vero eius, nullam penitus tristitiam  
habentes, cum omni gaudio abstulerunt corpus eius, &  
posuerunt illud in prædiolo suo, non longe ab Vrbe, in via  
quæ dicitur a Numentana. Vbi cum omnis turba  
Christianorum concurreret, [Ad eius sepulchrum orantes  
læduntur a Gentilibus:] insidias a paganis perpessi sunt:  
& videntes populum infidelium superuenientem armatum,  
omnes fugerunt. Aliquanti tamen lapidum ictibus læsi  
euaserunt. Emerentiana autem, quæ fuerat collectanea  
eius, virgo sanctissima, licet catechumena, constanter  
stabat intrepida & immobilis, & his verbis exprobrabat  
eis: Superflui, miseri, caduci atque atrocissimi, eos qui  
Deum omnipotentem colunt occiditis, & pro defensione  
lapidum homines innocentes iugulatis. Hæc & his similia  
dum turbis furentibus diceret, lapidata est ab eis, & orans  
iuxta sepulchrum Agnetis beatissimæ emisit spiritum.  
Vnde non dubium est quod in suo sanguine sit baptizata,  
[hos reprehendens Emerentiana occiditur.] quæ pro  
defensione iustitiæ, dum confiteretur Dominum, mortem**

constanter exceptit. Eadem denique hora fit terræ motus vehementissimus: & cum nimia esset cæli serenitas, tantæ coruscationes, tantaque fulgura & tonitrua extiterunt vt pars maxima insani populi expiraret. [subita tempestate multi pereunt.] Vnde factum est vt nullus penitus ex eo aduenientibus ad sepulcra Sanctorum, aliquas molestias excitaret. Venientes autem parentes B. Agnetis cum Sacerdotibus nocte, abstulerunt corpus sanctæ Virginis Emerentianæ, & sepelierunt illud in confinio agelli beatissimæ Virginis Agnetis.

[14] Cum igitur parentes B. Agnetis assiduis pernoctationibus vigilarent ad tumultum eius, vident in medio noctis silentio exercitum Virginum, [S. Agnes apparet parentibus, cum aliis virginibus.] quæ omnes auro textis cycladibus indutæ cum ingenti lumine præteribant: inter quas vident beatissimam Agnetem simili veste fulgentem, & ad dextram eius agnum stantem niue candidiorem. Hæc itaque dum viderent parentes eius, & qui simul erant, quasi stuporem mentis incurrunt. Sed B. Agnes rogat sanctas Virgines parumper gradum figere, & stans parentibus suis dixit: Videte ne me quasi mortuam lugeatis: sed congaudete mihi, & congratulamini, quia cum his omnibus lucidas sedes accepi, & illi sum iuncta in cælis, quem in terris posita, tota animi intentione dilexi. Et his dictis pertransiit.

[15] Hæc visio publice ab omnibus qui viderant, quotidie vulgabatur. Vnde factum est, vt post aliquantos annos ad Constantiam Constantini Augusti filiam hoc factum ab his qui viderant narraretur. Erat enim ipsa Constantia Regina, Virgo prudentissima, sed ita obsessa vulneribus, vt a capite vsque ad pedes nulla membrorum pars libera remansisset. Accepto autem consilio, [Constantia ope S. Agnetis ab vlceribus sanata,] spe recuperandæ salutis, venit ad tumultum Martyris nocte: & licet pagana, tamen credula animi intentione preces fideliter fundebat. Quod

dum faceret repentina somni suavitate corripitur, & videt per visum beatissimam Agnetem, talia sibi monita proferentem: **Constanter age Constantia, & crede Dominum Iesum Christum filium Dei esse Salvatorem tuum, per quem modo consequeris omnium vulnerum, quæ in corpore tuo pateris, sanitatem. Ad hanc vocem Constantia euigilat sana, ita vt nec signum in eius membris alicuius vulneris remaneret.**

[16] Reuersa igitur ad palatium sanissima, facit gaudium & patri Augusto, & fratribus suis Imperatoribus. Coronatur ciuitas tota: fit lætitia militantibus, & priuatis, atque vniuersis audientibus hæc. [curat ei templum extrui.] Infidelitas gentium confundebatur, & fides Dominica lætabatur. Interea patrem & fratres Augustos rogat, vt basilica B. Agnetis construeretur, & sibi illic mausoleum collocari præcepit. Currit hæc opinio ad omnes, [Multa ibi miracula.] & quotquot credentes ad eius tumulum aduenissent, saluabantur, quacumque fuissent infirmitate detenti. Quod facere Christum nullus ambigat vsque in hodiernum diem. Perseueravit autem Constantia, Constantini Augusti filia in virginitate: per quam multæ virgines, & mediocres, & nobiles, & illustres, sacra velamina susceperunt. [Constantio cum aliis virginitatem seruat, exemplo S. Agnetis.] Et quia fides mortis damna non patitur, vsque in hodiernum diem multæ Virgines Romanæ Agnetem beatissimam, quasi in corpore manentem, attendunt; & eius exemplo prouocatae, viriliter integræ perseuerant, credentes sine dubio, quod perseuerantes perpetuæ victoriæ palmam acquirant.

[17] Haec ego Ambrosius seruus Christi, dum in voluminibus abditis inuenissem scripta, non sum passus infructuoso silentio tegi. Ad honorem igitur tantæ Martyris, sicut gesta eius agnoui, conscripsi: & ad ædificationem vestram, o Virgines Christi, textum passionis eius credidi destinandum, obsecrans caritatem

**Spiritus sancti, vt labor noster in vestra imitatione fructum  
in conspectu Domini valeat inuenire, Amen.**